

PIÆ LACRYMÆ,
AD FUNUS

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI
HERÖIS,

Dn. GEORGI á SCHÖNAICH,
LIB. BARON. BETHAN. CAROLATI,
AMPTIZII, MILCKAVIÆ ET
NENCKERSDORFII &c.
Sac. Cæs. Mat. Consiliarj & Cancellarij per
Utramque cum Siles. cum Lusar.
meritissimi &c.

*Omniū bonorū cum luctu & communis
Patriæ querimoniâ*

Die XXV. Februarij Anni MDCCXIX.
piè demortui,
postremi officij ergò
XIII. Mal ann. ejusd.
ab

Illustris illustri ejus magnificentia con-
stituti & dotati

GYMNASII PROFESSORIBUS ET
PÆDAGOGI PRÆCEPTORIBUS
F U S Æ.

EXSCRIPTÆ

à

JOANNE DÖRFFERO GYMNASII TYPOGRAPHO.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΠΑΡΑΣΤΥΝΘΗΜΑ

Super exequiis

Illustris ac Generosi Dn.

Dn. GEORGI à SCHÖNAICH

L. B. &c.

Evergetæ gratiosissimi.

Iησὴφω περιμέλεια, μέγθ Δαβὶδθ, ἐέλωθ
Λισβὲς Εζεκίω, κα) Σολομῶντθ ὄη;
ἢ 3' Εκατοντάρχη πίσις, πελετὴ Σιμεῶνθ,
ἐν ΣΧΩΝΗΧΙΑΚΩ. τῶγε ταφῶ κρύβεται.
Μύρρα πολὺς σωρομορῆ σακτὴ τε παίρεσι.
Δεῖ ταυτῶ καίειν ἐνδυκέως τε κλαίειν.

Scrib.

GEORGIUS VECHNERUS

S. S. Th. D. & P. P.

Illustris Gymnasii Schonaichiani

p. t. Rector.

Illustris Baro nunc tranquillâ morte Georgus
Schönaichus cecidit, jura benigna Dei
Judicis expectans. Tibi nunc, tibi præmia magna
Sedibus æthereis esse reposta, vides,
Obenedicte senex. Cecidit pretiosa Corona,
Gymnasii Illustris, Ezechiasque pius!
Assertor cecidit sinceræ religionis,
Qui sacra restituit contemnerata Dei.
Quem, reddi ut posset sapiens & docta juvenus
Tæduit haud, celebrem constituisse Scholam.
Hic Generose jaces: sed non jacet inclyta virtus,
Quamque professus eras libera fraude Fides.
Huic ut consuleres, movit te gloria Christi,
Communisque salus, quæ malè pressa jacet.
Si quis possessor Fidei, Probitatis, Honesti,
Si tutor Veri quis fuit, ille fuit.

A 2

Et



426435

Et quia se jūstum credebat sanguine Christi,
Huic mortis sensum, mortis ademit amor.
Quite, Christe, Patri proponunt supplice gestu,
Hos Nati absolvit victus amore Pater.
Cūm Lex vel mundus vel nos oppugnat Avernus,
Una salus, pretia fidere, Christe, tuo.
Omnia vicisti, quæ nos quoque vincimus in te:
Nam sumus ex collo pendula massa tuo.
Chare pater patriæ: Postquam, isthoc orbe relicto,
Per placidam mortem, cœlica templa tenes:
Est tibi quod cuncti tantum gratemur honorem,
Est quod gratemur gaudia tanta tibi.
At tamen orbat, magnâ pietate parente,
Non nisi lugubres edimus ore sonos.
Non tamen hoc luctu, nos contabescere par est,
Hæres successit nam generosus ei.
Hunc pressurum ejus spero, vestigia sanctè:
Proque hoc ex imo pectore fundo preces.
O tu Nate Dei, sapientia summa parentis,
Qui reges orbi præficis atque duces:
Cui sua sceptrâ decet cunctos submittere reges,
Quique ducum versas lubrica corda manu:
Præstantes virtute duces tu suffice terris,
Impavidis animis qui tua jura colant.
Horum animos sancto conjungas federe pacis,
Frangere ne vires vis inimica queat.
Fac ut defendant cœtus te ritè colentum
Commisissos justis judiciisque regant.
Curia, templa, scholæ, respublica, commoda pacis,
Legibus & nervis stent bene recta suis;
Dum redeas orbi, vivorum & luce carentum
Judex, & solus regia sceptrâ geras.

Ernestus Nolde, Pietatis Professor f.
MEMORIÆ

MEMORIÆ ET VERITATI SACR.^{um}
HOC DORMITORIO,
IN SPEM LÆTAM DIEI CENSORI,
QUIESCIT, QUOD MORTALE FUIT
ILLUSTR. IS ET GENEROSI DOMINI,
DN. GEORGIÀ SCHÖNAICH,
L. BARON.Æ BETHAN.Æ, CAROLATI,
MILKAV.Æ, NENKERSDORFI,
AMPTITI &c.
DUOR. um CÆSAR. um CONSILIARI,
SAPIEN. tiæ, FIDE, JUSTIT. iæ, SPECTAT. ml
CANCELLARI UTRIUSQ. Æ SILES. iæ ET LUSAT. iæ
ELOQU. io, INNOCEN. tiæ, AUTORIT. te AMPL. mi,
RELIG. ne, CASTISS. mi ANIMI MODERATIONE,
CLEMENTIA, HUMANIT. te, DOMI FORISQ. Æ
LAUDATISSIMI;
NATI IN EXEMPL. um DIVINÆ BENEDIC. ti; ;
LIBERALITATE INCOMPARABILI
AUGUSTI FUNDATOR. is
MAGNIFICI MAJORATUS CAROLATINI,
GYMNASII ET PÆDAGOGII BYTHOMICI,
TUM XENODOCHII INIBI;
OPPIDI ITEM EJUSD. em AMPLIFIC. ti; MUNIF. ti:
QUI IPSE QUIDEM
ANNIS ET MERITIS HAUD IMMATURE,
SED IN CALAMIT. tem SUORUM,
CUM COMMUNI ECCLES. iæ ET REIPUB. cæ LUCTU,
HEI PROPERITER NIMIS DECESSIT!
DIE XXV. FEBRUARI. AN. CHR. CIO. ICCCXIX.
CUM VIXISSET DEO PIE, HOMINIB. um BENEFICE
AN. nos LXI. MENS. es IV. HEBDOM. as II. DIES III.

A 3

Tumulus

Tumulus.

CONditur hoc saxo SCHONAICHUS.
plura loquentur
Teuto, Italus, Gallus, Sarmata & Anti-
podes.

Quod pedibus calcare solum non conti-
git, implet

Virtus, virtuti pervia quæq; via est.

CASPAR DORNAVIUS.

VImquam mors inferre **TIBI**, BARO MAXIME, visa
est,

Non Tibi, sed nobis, ah! nobis intulit omnem.

Namque est illa Tibi in melius mutatio lata.

Vitam non-vitam mutasti perpete vitam,

Perpete vitam illam, que non habitura dolores

Est ullos; sed ubi perfecta est undique sensus

Letitia, atque movens DEUS omnia in omnibus unius.

At nos, Tu quorum lumen columenq; fuisti,

Et qui Te patrem patria, nostriq; Lycei

Vidimus, heu! sine Te sumus, atque Tuo sine ductu,

Ductu illo quo nil poterat felicius esse.

Sic, Tibi qua lucro est, nobis fert flebile damnum

Mors: lacryma nobis, Tibi qua sunt gaudia, larga:

Et Tibi quod certum est Divini Numen Amoris,

Ira Divina nobis signum indubitatum est.

Atque ita non Tibi, sed nobis Tua mors violenta est.

M. ADAMUS LIEBIGIUS

Ecclesie Bethaniensis Pastor, & S.S. Theol.

in Illustri Schonaichiano Professor.

Vexillum



Vexillum optimo Patrono suspen-
sum in publico Famæ campo,
à cliente grato

ex

Illustris Successoris affectu.



IMPERIO PIETATIS

OBSEQUIO NATURÆ.

GEORGIO à SCHONAICH
LIB. BARON.

A QUO DITIONEM, DIGNITATEM Q;

A C C E P I T

JOHANNES EX FRATRE NEPOS

TROPHÆUM HOC FUNEBRE STATUIT:

CUM VIRTUTUM SUARUM MONUMENTA

PATRUUS IPSE

PER ORBEM CHRISTIANUM NULLIS

SECLIS COLLAPSURA

SIBI ANTE CONSTITUISSET.



Sic mors cum venerit vincitur
quum antequam venerit temitur.

Monumentum.

D.O.M.S.

GEORGIUS à SCHONAICH

LIB. BARO;

ET MAJORATUS BARONIÆ SCHON-
AICHIANÆ CONDITOR,
CAROLATI BETHANIÆ, AMPTITIIQ;
DOMINUS;

CÆS. MAJEST. CONSILIAR.

EJUSDEMQ; PER SILES. ET LUSATIAM
CANCELLARIUS;

HEROS;

AB ANIMI CANDORE

PRUDENTIA RERUM

SAPIENTIA CONSILIORUM

AGENDORUM DEXTERITATE

EXTERIS PERINDE AC PATRIÆ
NOTISSIMUS

VIRTUTE SUA, QUÆ HOMINUM EX-
PECTATIONEM PRÆVENIEBAT;

EO GLORIÆ IN TERRIS ERECTUS;

UT ALTIUS, NISI ANIMO IN COELUM,

PERVENIRE VIX POSSET

FRAGILITATEM CUM FIRMITATE

MISERIAS CUM BEATITUDINE

COMMUTANS,

IN HOC DORMITORIUM,

QUOD IPSE SIBI, VILITATIS SUÆ MEMOR

EX VILI LIGNO COMPINGI CURAVIT

ILLATUS, DEPOSITUSQ;

EST.

IN QUO CUM SINGULARIS ESSET

ERGA

DEUM PIETAS

ECCLESIAM AFFECTIO

SCHOLAS MUNIFICENTIA

IMPERIUM FIDES

SUBDITOS GRATIA

FAMILIAM STUDIUM

CLIENTES ÆQUITAS

EGENOS LARGITAS

ET IN OMNES BONOS AMOR ET SUAVITAS;

MORTEM ACCUSAREMUS MERITO

QUÆ, TOT PIETATIS ORNAMENTA,

TOTQUE VIRTUTUM FLORES,

IN UNO HOC HEROE SPIRANTES;

UT IMMORTALES FRUCTUS POSTE-

RIS JAM FERRENT,

PLURES SUBINDE LATURI;

ACERBISSIME SEPELIVIT:

NISI OPTIMA SEMPER DEI VOLUN-

TAS ORLOCUTIONES SAPIENTIÆ

HUMANÆ SILERE SIBI

IMPERARENT.

PATER FUIT NATURA PROLIS UNIUS,

NEC DUM BIMESTRIS;

CURA PLURIUM QUAM CREDERE

POSSIT POSTERITAS;

NISI ID CONTESTARETUR IN OMNEM

PERPETUITATEM DITIO HÆC IN FONTEM

CONVERSA AB IPSO SUBSIDII, PRO

INDIGENTIBUS EX FAMILIA,

PUBE LITERATA,

CIVIBUS.

O B I I T

DIE XXV. MENS. FEBR. A.C. MDCXIX.

B

EPICE.

EPICEDIUM.

NATURA mortalis homo; sed calicis idem
 Inq; foro, inque domo, SOL fuit, inque choro
 Urbe Capernáo qui quondam rexit habenas.
 Præses militiæ Roma superba tua.
 Qui Bethanai Dominatum nuper habebat,
 Cui genus & nomen querna Corona dedit.
 Talis erat nobis. O immutabile fatum,
 Quod mortale fuit turbine mortis obit
 Fama tamen Vita sub dio mansit aperta,
 Postquam animam cælis intravit alma fides.
 Ille Beatus homo est, qui sic hęc vivit, ut idem
 Inq; foro, inque thoro SOLEM agat inq; Choro:
 In minimos cineres ut eat caro; laude perenni
 Magnus in ore hominum est, magnus in ore DEÆ.

JEREMIAS COLERUS

Umbra Schönauiana Schönauichianæ aulæ Ecclesiastæ & Gym-
 nasii Prof. Publ.

Cur nõ, Mari, boni quoniam concurrimus ambo,
 tu canere, auditos ego doctus reddere versus,
 isthic frigenti paulum consistimus ulmo?
 Siste pedem, extremumq; mihi hunc concede dolorẽ,
 paucula dum casã querar, hei mala, Carmina *Quercu*
 Vix dum bisse nos absolvit Luna labores
 (orbis Luna tuos, variataque lumina juro)
 quando immaturum queruli suspendimus arcum,
 pendula cumq; hæsit pinu *fenesta* Cupressus,
 Vnius ob Rami cladem, avullosque lacertos
 cognatæ Quercus, communia Nomina, grati
 Fratris ob exuvias & plurima funera Gentis,
 congrua quæ pulchrã sumpsit cognomina *Quercu*.

Triste

Triste, recordor enim quæ funera vidimus anno,
 post Fratris tumulum, geminæ cecidere Sorores,
 quod mirere magis, hei Vis incognita Fati,
 Augustã cum Matre perit, latitatque sepulcri
 unius in busto, Cognati Seminis Heres
 Filius, huic frustra speratus Surculus ævo.
 Flevimus hos dudum, frustra sudantibus hircis,
 & solito, Parcæ tamen haut dolere, sacello.
 Non satis, iratis cadit hostia Nobilis Austris,
 in quã confines posuerunt robora, *Quercus*,
Quercus honoratæ dudum fastigia laudis
 cælo æquans, annosa valens & frugibus amplã,
 Spes Generis, fulcrumq; Domus, Stirpisq; columna,
 unde suum Radix succumq; Cacumina sugunt,
 unde bibunt virides vitalia flumina frondes,
 unde anima, & siccos succus fluit usq; per artus;
 hæc perit, & duris cadit hostia Nobilis Austris.
 Scilicet excelsas infestant fulmina turre,
 annosis celeresque immittunt Quercubus ignes,
 alta petunt Venti, pereunt altissima Ventis.
 Fors restabat adhuc, terris ut cæsa caducis
 redderet umbrosas Divorum Illustrior ædes
 frugifero peramœna loco, peramabilis umbris
 eruta, & hærenti infelix radice recisa,
Quercus amœna suis nimium peramabilis umbris.
 Sed perit, & duris cadit hostia Nobilis Austris,
 tam bello in *Querceto* bellissima semper,
 quæ tot inumbravit Quercus, perit unica *Quercus*.
 Scilicet, & memorare licet, sic pingvia poscunt
 dona salutari pridem sudantia Quercu.
 Fructu feta diu, jam nunc effeta silenti
 deperit interitu, lenem & captantibus auram,

B 2

q æstas

quæ sitas olim, nunc invida denegat umbras.
Ut periit, periisse tamen non postera dicent
secula, quæ glandes norunt, quæ robora *Quercus*,
victuro numquam morituraque Nomina seculo.
Ubere sic fructu in superas effloruit auras,
circum & vicinæ diffudit munera terræ,
ut non tempus edax. non sera abolere vetustas,
tàm frugi *Quercus* sublimia Nomina possit.
Nō loquar, hæc summis quantum se expanderit *Aulis*
Cæsareas tutata Domus, *Patriæq;* Penates
frigore quàm suavi, quàm fidis foverit ulnis.
Addam, ex hac largas una de Stirpe Propago,
se patulo dudum solata Cacumine, vires
imbibit, & dubiis sensit solatia rebus.
Illius in Ramis *Schola* consurrexit, & orsu
non sterili, in longum vernanti pullulat ævo.
Ager in hac cultas invenit *Lazarus* ædes,
rarum opus, & census gens paupera sensit opimos.
Omnia ne dicam, diffusis dulciter herbis,
Incola, *Vicinus*, spaciolæq; *Aecola* sylvæ
luxuriosa hujus vixerunt secula in umbris.
Talis erat, vernans *Quercus*, dum vita manebat,
postquam sed duris perit hostia Nobilis *Austris*,
flebile jam Pondus, jam vitâ Robur inane
atrata. fulgore Necis, flammâq; furenti
sulphure nitrato, facibusque accensa picatis
in cineres resoluta leves, emortua tymbō
conditur, ex sanguis, succo sine corporis umbra.
Sic *Mortæ* series æterna furoribus instat,
sic modò quæ ramis stabat fulgentibus arbor
ocys in tenuem sublidit marcida truncum.
Frustra at pugnamus Fatis, communibus illuc
præscri-

præscriptisque diu Naturæ Legibus itur.
Umbra Vate, & Divum subiens Illustrior ædes,
Parte tui potiore manens, animaque superstes
auspiciis augusta novis, quæ viva dedisti
functa perennanti diffundite munera Voto.
Scilicet & moriens per splendida Nomina vivis,
perque ea quæ patriis genuisti Commoda terris.
Vivis & in viridi culta sine labe Genistâ
quæ succo nutrita tuo, radice renata
exit, & ætatis victura repullulat Arbos.
Sic transit post busta etiam, non interit umbra.
Nobis dumque tuis vixisse feracibus umbris
Umbra licet, vivis, quæis & nos vivimus, *Umbris*.
Da Deus umbrosâ hac longum nos vivere *Quercu*,
quique recens tantâ nunc Surculus Arbore surgit
(fidus terrarumque & aviti roboris Heres)
libera quæ pridem nobis Deus otia fecit,
roboret, & similes viventibus annuat *Umbras*.
Quod facit, & vultu dudum promittit amico,
fecit hic, & faciet; ceptis Deus annuat ausis.
Transeo, nec longis te, Mœri, fatigo querellis,
dum Votû promo, hæc Laribus modò scribe paternis:
" Exoriens *Quercu* *Daphnis*, nova Surculus Arbos,
" æquet querna simul vivacia secula *Daphnis*.
" Vivat, & annofo succrescat floridus ævo.
" Ut *Quercus*, seros sic *Daphnis* adimpleat annos
" noster & annofo transcendat secula fructu.

Collugens posuit

PETRUS POLENIUS U. J.
D. & Prof. Publ.

B. 3

Quid

Quid pietas, quid prisca fides, quid Fama quiritat P
 Quid mixta infando Templâ dolore gemunt?
 Herôâ insignis ploratur laude Dynasta,
 Ille Schönâchiacâ nobilitate satus.
 Ingenii specimen jam pridem prabuit Aulis,
 Consilio, eloquio, religione, fide.
 Invida Mors terras herôem invidit, & illum
 Regibus eripuit, Caesaribusq; suis.
 Nunc pietas, virtus, nunc Fama atq; Aula, Fidesq;
 Nunc Patria, atq; Nepos, nunc vidua ipsa gemit.
 Quem Patria, atque Fides, Virtus, vidua, Aula, Nepotes,
 Quem Pietas, Virtus, Famaq; salva dolent,
 Eternum ante Deum, mortales vidit & ante,
 Non pietas, Virtus, Fama, perire sinunt,

JACOB. BEHRNAUER D.
 & Medicinæ Professor.

Maxima THEUDOSIUS quondam præconia laudum
 Promeruit; ceu nos scripta vetusta docent:
 Quòd placidâ jam clausurus sua lumina morte,
 De vitâ fuerit non ita sollicitus:
 Quàm quæ Christiadum sit Sors mansura; per omnes
 Quos terras miserum Sortis agebat onus.
 Quæ decorent fat digna BARONEM Ercomia nostrum,
 Qui SCHOENAIADIUM Lumen, Honosq; manet
IPSE graves inter curas non anxius unquam
 Tantum de propriæ sortis amore fuit:
 Quantum IPSI curæ, quo pacto Ecclesia CHRISTI,
 Cumque hac floreret Fama, Salusq; Scholæ.
 Constituere alii præclara Palatia Musis,
 Proventum Templis, Pauperibusque Cibum.
 Verum hi Majorum collata Stipendia habebant:
 Vel Legata piis constituere modis.
 Vivus at HIC proprio collecta Stipendia fisco,
 Pauperibus, Templis contulit, atque Scholis.

Et

Et propria ut maneant, sancitâ lege, dicavit:
 Quòd suus in CHRISTUM continetur honos
 Ergò laus aliis sit bina vel una sepulcris
 Scripta, sed hæc trino fulgeat hoc titulo:
 Hic jacet, Elysæ columen, Schönâichius Heros,
 Ingenii donis, Divitiisq; potens:
 Qui Templum Pietate, Scholam Bonitate, & Egenos,
 Munificâ promptus juvit & auxit opæ.

M. JOHANN. SCULTETUS
 Prof. Logues publ. & Padagogiarcha.

Parodia Odæ Horat.

V. lib. 4. Horatii
 Super Obitum

GEORGIÀ SCHÖNAICH,

L. BARON. BETHANIÆ, CAROLATI,
 MILKAVIÆ, NENKERSDORFI, &c.
 Sac: Cæs. Mat. Consiliarii & Silesiæ ac
 Lusatiæ Cancellarii.

Avis orte bonis, magne SCHONAICHIAE
 Phænix Gentis, obis jam nimum citò:
 Seclum Nestoreum promeritus Geni
 Sancto consilio, mane.
 Mentem redde tuo, mi Baro, Cæsari:
 Instar Solis enim pectus ubi tuum.
 Fulsit Cæsaribus: firmior est Status,
 Atque Aulæ melius vigent.

Ut

Ut Conjux socium, quem Geta durimis
 Vinculis Carpathii trans maris æquora
 Hærentem spatio longiùs annuo,
 Dulci distinet à toro;
 Votis, atque lytro & precibus vocat,
 Tristi nec faciem littore dimovet :
 Sic desideriiis cœta perennibus
 Quærit Praga Schönaichium.
 Vis ingens hominum Regna perambulat :
 Luget jura Dicē, mitis & Æquitas :
 Atratas titubant ad Tabulas Rei:
 Fœdari metuit Fides.
 Multo polluitur patria sanguine,
 Rex & lex maculosum retinent thronum :
 Spernuntur niveis cordibus Aulici:
 Justos pœna manet comes.
 Quis ferrum metuat? quis gelidam necem?
 Quis, vesania quos hostica parturit
 Vires, incolumi hoc Præstite? quis
 Diras curet Avernicæ? (Stygis
 Condit quisq; diem pectore sub puto,
 Et mentem astriferum mittit ad æthera,
 Hinc ad jura redit lætus, & Aulicis
 Te Curis revocat Ducem.

Te

Te multa prece, te prosequitur metro
 Grato Musigenis, & laribus tuum.
 Scribit nomen, uti Græcia Nestoris,
 Et magni memor Herculis.
 Soles ô utinam, mi Baro, perpetes,
 Vivas Silesiæ: pangimus integro
 Læti mane melos: plangimus orphani
 Cum Sol Oceanum subit.

ELEGIA.

HANC sustolle cutem, resera & post scenia cordis,
 Ac cernes mediis cor fluere in lacrymis.
 Sic nova me recoquit violenti flamma doloris:
 Sic cruciabilibus vexor agorq; modis.
 Quid dico? non sum, qui sum: quig esse volebam:
 Egero sic me omnem: vix hio verba TRIA.
MECÆNAS obiit noster, SCHONAICHIIUS heros:
 Cordolium & nobis triste reliquit humi.
 Nos miseros! animam quo nuper traximus istam,
 Cernimus hunc gelidâ stare cadaver humo.
 Immo gaudebat quo Patria nostra Solone,
 Jam nunc, heu! spoliū mortis & umbra jacet.
 O mortem infestam herois animabus! ô ausûs
 Indulget tantos cur tibi, Morta, Deus?
 Hocne cor Augustum tetris erit anguibus esca?
 Hocne Viri divum rodet echidna caput?
 Vivaces Corvi protollunt sapius annos,
 Cornices vitæ secula sena legunt.

C

Cor

Cur homo peioris sit conditionis & ævè?
 Cur hominem Mortis falx propevata metat?
 Vivit ab exuviis Phœnix: senium exsuiit aspis:
 Quare non homini vita recisa redit?
 Credo ego, dispensare colum si patria posset,
 Nestoris hic posset exsuperare dies.
 Scæva at fata negant: semel & qui fertur ad urnam,
 Cogitur ad reditum, Christe, latere tuum.
 Tam breve, tam miserum, miseris mortalibus ævum,
 Causatum est crimen primi-Parentis Adæ.
 Sed benè habet. Christi Mors, mortis claustra revellit,
 In quem lex & nex nil modò juris habent.
 Hanc vivit vitam, vivetq; SCHÖNAICHIUS heros,
 Hæres cœlestis perpes herusque throni.
 Ergo catenatas post curas atque labores,
 Quis SCHÖNAICHIADÆ non canat, illud HAVN?
 CÆSARIBUS Divis sat vixit FRATRIBUS, ac sat
 SILESIE Patriæ, Lusatiaque polo,
 Immò sibi atque suis: divino Carmine dignus,
 Et quem posteritas jure tacere nequit.
 Omnib; si liceat, tibi Mausolæa locarem,
 Pyramidesq; , vetus quas neq; Memphis babes.
 At tibi displicuit marmor, tibi sorduit aurum:
 Solaque complacuit quærnea tumba tibi.
 Ergo (tuo voto) lenes tibi comprecor umbras,
 Et simul in clamo voce animoque tibi:
 SALVE & HAVE æternum, prisco pro more, SCHONAICHI,
 SALVE & HAVE decies, perpetuumq; VALE.

Tumulus.

CONcurritis quid tam frequentes, Hospites,
 A me quid & desideratis amplius?

An

An non satis loquuntur atque clamitant,
 Arces, scholæ, theatra, Tempa, porticus,
 Vireta, valla, vineæ, atq; prædia?
 GEORGIUS fuerit quis hic SCHÖNAICHIUS,
 Hac qui cubat tumba suâ sub quercia,
 Non possum ego, nec ipse Apollo dicere:
 Non Gratiæ, Musæq; possunt & Themis:
 Nec Cæsares, nec Rex, nec Austrii Duces,
 Neq; Principes possunt, statusque & Ordines
 Silesiæ Lusatiaque dicere.
 Immò nec ipse, si resurgat, dicere
 Posset Tibi GEORGIUS SCHONAICHIUS.
 Quanto vigore, quanta & acrimonia,
 Valuerit ingenii atque iudicii ipsemet,
 Quàm liberalis atque magnificus fuerit,
 Oeconomus & quantus fuerit, & Artifex
 In Architecturâ, artibusque cæteris,
 Hodiè satis loquuntur atque clamitant
 Arces, scholæ, theatra, templa, porticus,
 Vireta, valla, vineæ atque prædia.
 Quanto vigore, quanta & acrimonia,
 Valuerit ingenii atque iudicii ipsemet,
 Et Cæsares, & Rex & Austrii Duces,
 Et Principes sciunt, statusque & Ordines
 Silesiæ, Lusatiaque noscitant.
 Edisseram paucis ut isthæc omnia:
 Prudentiâ, scientiâ, eloquentiâ,
 Quotquot fuerunt, quotque sunt, ac post erunt,
 Si non hic exsuperavit, at paucos tamen
 Habuit pares in Cæsarum synedrio.

BALTH. EXNERUS de Hirsch-
 berga, Histor. Professor.

C 2

Ampla

AMpla parentabunt Nostro monumenta Baroni
 Nec quicquam est versus indigus ille mei.
 Censeri poterunt foliis leviora caducis
 Carmina, quæ passim inscripta papyrus habet,
 Nescia Convelli tellus testabitur undi-
 quaque, quod in laudes struxerit ætherias, [Curâ
 Quamque piâ **ILLUSTRIS SCHÖNAICHIUS** omnia
 Sanxerit, agnoscet fors magè posteritas.

A L I U D.

SI pietas, si prisca fides, prælustre quæ stemma,
 Sisteret immanem vim, rabiemque necis.
 Nonte, **SCHONAICHI**, generose Patrone, sub umbras
 Fatales raperet Parca severa suas.
 Cura tibi una fuit, summo placuisse Jéhoa;
 Altera Caesaribus consuluisse fuit.
 Tertia erat, Patria curâ in servare fideli,
 Quarta tibi atque tuis grata parare, fuit.
 Qui tecum facit hac salvâ pietate, fideque,
 Nestoris hic Pylîi secula casca meret,
 Sed quis vitæ hujus sibi stamina longa peroptet?
 Non tutum est sanctis, vivere in orbe diu.
 Ut conviva satur **SCHONAICHIUS** Orbe recessit,
 Mutatam sortem quis neget esse probè?

GABRIEL TITUS
 Ethices & Politices Professor P.

OLacry-

OLacrymosa dies, nigro signanda lapillo!
 Cui nos exsequias imus? **SCHÖNAICHIUS HEROS**,
 præ dolor! **ILLE** Deus Noster, deponitur æde
 funereâ: postquam rene, & pulmonibus in pus
 conversis, caput occulit feralibus umbris.
 Nil habet ille hominis; tanto qui funere ridet.
 Lamentis resonent, resonent ululatibus auræ,
 ô Cives. Heu nostra jacet **BELLISSIMA QUERCUS!**
 tegmine sub cujus **PIETAS, ASTREA, CAMOENÆ**
VESTA, CERES, Proles Semelēja, divite Cornu
 Munera vicinas sua diffundere per oras.
 Hei miseros! Quæ nos manet inclementia Olympi?
 Sed satis. Exsequias imus: tumuloque suprema
 hæc scribenda damus, Cedro at dignissima, verba:
 Quem **SACRUM IMPERIUM**; quæ **CANCELLARIA** terræ
ELTSIÆ, & CAMERA; **ILLUSTRIS** quæ **LUDUS**, apertus
BETHANIÆ; quem **TEMPLA**; **ARCES**, quas condidit;

ARVA,
 quæ coluit, frustra Viadri incurstantibus undis,
 pullatâ veste, & lacrymarum flumine lugent;
ILLUSTRIS BARO, SCHÖNAICHIUS ILLE GEORGI
 cui nomen, nomen non re sine, molliter ossa
 hic jacet: at cœlo prognatâ mente, receptus
 sedibus æthereis, viget, æternumque vigebit,
 Mors nostra haud mors est: mors est reparatio vitæ.

d. SERVATI, a.

CarLatI CeCIDIt qVerna & perbeLLa Corôna:
 LVgete AonIæ, BethanæqVe Deæ.

GEORGIUS MANLIUS GORL.
 Pbil. & Med. D. Illustris Bethanæi Prof.
 Orator, & Poëf.

Quem

Quem modo visceribus terra committimus, HEROS
Quis fueris; non est explicuisse meum.
Curia, templa, Schola, atq; AUGUSTI CÆSARIS aula,
Inq; Deum pietas, inq; homines probitas
Id satis ostendunt. Eadem quem morte peremptum
Vidimus, efficient vivere perpetuò.

ALIUD.

Quam benè MATTHIAS Casar, nosterq; Patronus
Convenient; ratio vitæ utriusq; docet.
Vno eodemq; anno, salve orbi dicit, uterque:
Vno eodemq; anno, dicit uterq; vale.

DAVID VECHNERUS
Mathematicum P. P.

Qui Dominum cæli devoto corde colebat,
Ejus & ad Verbum promptus & acer erat:
Qui Servos Christi spargentes sacra fovebat
Dogmata, & in precibus religiosus erat:
Consiliis sanis qui iuvit Cæsaris aulam,
Agmen cui doctum, cui scola cura fuit.
Occubuit letho extinctus Schönai chius Heros,
Heros Elysi gloria magna soli,
Illustris verè illustri qui laude replevit
Vicinas terras, extitit atque pius.
Sed quamvis tumulo tegitur deforme cadaver,
Huic tamen obtingit forma decusq; novum,
Tunc ubi restituet nobis pius omnia Christus,
Hic qua maturè mors violenta rapit.
Ut nunc triste mori est, sic dulce resurgere quondam,
In Christo moriens cœlica tecta subit.

Hic

Hic nos cura manet, requies sed suavis in urna,
Extremo venient gaudia summa die.
Abrahamus Scultetus Ecclesiæ Beutani-
enses Diaconus.

Fama refert, socia cum Agamede Trophonion arte
construxisse Deo Delphica templa suo.
Res ea lativagum est alâ deventa per orbem,
præpete, ceu nullum sanctius esset opus.
Sed cum mercedem à Phœbo sibi uterq; rogaret:
occubuisse simul, nuncia fama refert.
Quid non his simile, aut quid non augustius istis
præstitit heu! noster quondam Amor & patriæ
SCHÖNAICHUS, Musarum idem Phœbiq; verendus
cultor, discipulus γυμνασιῶν Eusebiæ?
Mitto Bojemam, Elysiam & Lusatidos oras:
quæ plenæ HERGIS non nisi laude crepant.
Tantum Bythomici fastigia cella Lycæi
testor, delictum Palladis artidocæ.
Mercedem ast operi tanto quam repperit? Vnam
Fatalem; haut alio munere dignus erat.
Nempe Deus, clemens erga benefacta proborum,
quem beat, optatæ mortis honore beat.

M. ELIAS Schön.

SCHÖNAICHIElysiæ quondam gemma incluta terre,
At nunc Æther ei gemma decora chori.
Nos equidem permulta tibi debere fatemur,
Quod poscit pietas, & monet ipse dolor.
Nempe ut quisque tibi grata det mentis honorem,
Et solvat bustis carmina sacra tuis.
Sed Verba occludit singultus; VIVE: doloris
Hac vox est nostri summa, PATRONE Vale.

M. Henricus Rethelius in illustri Bethanéo
Præcept. Publ.

Nuper

Nuper ut attonitus, rerum dubiusque
 mearum,
 Interitu stare, Dive SCHONAICHE
 tuo, [lendus;
 Dispicerem quoque, laudandus magis, anne do-
 Elogio dignus sis, elegove magis.
 Hâc Peitho mihi partè stetit, stetit at Themis
 Svadentes; luctus illa, sed illa *χαερίν.* (illâ
 Res Jovis arbitrio celsit. Sententia lata est:
 Laudibus æternis dignus, & ambrosiâ
 stultè defletur, dū, quod cupit, obtinet, & cui,
 Quam cupiit, melior vita, salusque venit.
 Nec tanti benefactoris, tanti que Patroni
 Tu satis es elegis, aut satis elogiis.
 Ergo Ego sum cœlesti ipsū dignatus honore,
 Laudibus æternis, perpetuoque bono.
 Jacturam verò tantam meliore rependens,
 Successore novo, prospera plura dabo.
 Ergo quid potiùs faciam dic lector amande?
 Num laudem amissum? num doleam Do-
 minum?

ABRAHAMI BERNHARDI
 Censorii.

TETΡΑΣ-

ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΟΝ ΕΤΕΟΛΟΓΙΚΟΝ

Bethanæ perlit parCa VI nostra Corona:
qVa sat bella solo; nVnC Magè bella polo, est:
Vos Charlès faCle CaCâ LVgete Dynasten:
aC flete Aónla, BethanagVè Dea:

AMBROSIIUS SCHNEEWEIFS:
 Gorl. collega illustr. Padagogi
 Schönaichiani.

III

L E S S U S
 pro funere ejusdem.

Eheu! Gymnasium letho *Schönaichi* heros
 deseruit, nostræ gloria *Bethania*:
 quem mirabatur modò Cæsaris aula *Masbia*
 ante alios; dum illi vita superstes erat.
 Immò qui mirâ clarus, ceu Dædalus, arte;
 nunc Musis linquit nil nisi cordolium.
 Inclyta *Bethania*, heu! luge: quia justa doloris
 causâ subest: luge ah inclyta *Bethania*.
 Luge Gymnasium, luge: quia *Querna Corona*
 fracta jacer: luge nobile Gymnasium:
 funde Deoq; preces; quò justam mitiget iram, &
 pellat ab Aónio tristia fata choro.
 Hoc iræ indicium divinæ insignie videtur,
 quando pios vocat ad cœlicæ regna Deus.

A. S. G.

D.

III.

I I I.
E T O H M I A

ad

Illustrem & generosum Dominum
DN. JOANNEM à SCHONAICH
ditionem Baronatus Schönaichiani
occupantem.

Salve JOANNES heroum mascula proles:
salve BYTHOMICI, magne Dynasta, soli:
aurea frons salve, PULCHRÆ de stemmate QUERCUS:
Onunquam non sis quercus amica Jovi!
Sospitet, & saluum servet te dextra Jehova:
augeat & flammâ cœlitis mentis opes:
quò nos & nostros possis defendere cives
sacrato jure; & Religionis opus.
Sic precor excedas longævi Nestoris annos;
incolumisq; diu per pia facta regas.

A. S. G.

Relliqua membra valent membrorum principe parte
Salvâ, atque incolumi, relliqua membra valent.
Relliqua membra nihil, membrorum principe parte
prostratâ; vitâ relliqua membra carent.
Heu! quàm gaudebas Generosâ Principe Quercu!
heu! quàm ridebas! jubila quanta dabas!
Heu! quàm florebas! quàm corpore, mente, virebas!
heu! quàm vivebas tutus ab hoste tuo!
Quisquis Bythomicis spiras, sperasque sub umbris;
Quisquis Schönaichium vivis in imperio.
Verùm jam cecidit mortis vi Pars tua Princeps;
heu! cecidit, cecidit Portio summa tui:

Is

In mundo, non mundo, vixit: mortuus ille
Vivus enim mundo: mortuus in DOMINO.
Hinc Dominovivit; mortis nec spicula sentit;
In Christi exultat, lætus amore, sinu:
In Christo gaudet: Christum jam lætus adorat:
Plenus amore Dei, Laus Tibi, Christe, canit:
Laus Tibi Christe, Deus; qui me Tibi sanguine junxti;
Qui me cœlesti prosperitate beas.
Mortuus ergo tui Generosi morte Baronis:
Sed spiras, surgens per Patruum regimen:
Per Patruum rursus virales prodis in auras:
Per Patruum mortis effugis imperium:
Per Patruum tua recta, domus tua, salva manebunt;
Per Patruum vives tutus ab hoste tuo.
Vivas ergo diu, multos valeasque per annos,
Hujus ab imperio; qui patruum imperium
Suscipit, & patruam regere, atque tuerier urbem
Constanter pergit; pergit amare bonos:
Succurrit miseris: Sacra res Tutore sub ISTO
res sacra, publica res Hoc Duce publica res:
Hoc Duce conveniunt Musæ, Charitesque sorores;
Hoc Duce consurgunt, Candor, Amor, Pietas.
Non igitur nobis abiit: sed adest Baro; mortuus ulli
haud Baro. Nam nobis vivit in Hoc Patruo:
Vivit itemque sibi per Christum: vivit in orbe
Virtutis magnâ nobilitate suæ.

FRIDERICUS SCHOSSEUS
Bentb. Sil. Padagogii Patrii
Collega.



40c

SUPR. HONORIBUS

ILLUSTRIS ET GENEROS. HEROIS
A C D O M I N I,

DN. GEORGI à Schönaiçh

LIB. BARON. BETHAN. CARO-
LATI, AMPTIZII, MILCKAV.
ET NENCKERSDORF

&c.

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIARI ET
CANCELLARI PER SILES. ET
LUSAT. DIGNISS.

XXV. Febr. An. CIO IO. CXIX.
piè demortui

& die XIII. Maji Ann. CIO IO CXIX.
honorificè sepulti

ARÆ EXSEQUIALES

ab Hospitib. quibud.
& clientibus

POSITÆ.



BETHANIÆ

TYPIS JOH. DORFERI.

